

1 'Tertulliani' Carmen Genesis

GENESIS*

- Principio Dominus caelum terramque locauit:
Namque erat informis fluctuque abscondita tellus,
Immensusque Deus super aequora uasta meabat,
Dum chaos et nigrae fuscabant cuncta tenebrae.
Has dum disiungi iussit de cardine, fatur:
- 5 Lux fiat, claro et micuerunt omnia mundo.
Cum Dominus primi complexisset facta diei,
Condidit albentem nebulis nascentibus axem:
Accipit immensus errantia littora pontus,
Multiplices rapiens ualidis cum tractibus amnes.
- 10 Tertia lux faciem terrarum fulua retexit,
Arida mox posito narratur nomine terra,
Florea uentosis consurgunt germina campis
Pomiferique simul procuruant brachia rami.
Quarta die generat solis cum lampade lunam
- 15 Et stellas tremulo radiantes lumine fingit:
Haec elementa dedit subiecto insignia mundo,
Tempora quae doceant uarios mutanda per ortus.
Quinta die accipiuut liquentia flumina pisces
Et uolucres uarias suspendunt aere pennas.
- 20 Sexta pater gelidos in spiras lubricat angues
Quadrupedumque greges totos diffundit in agros
Cunctaque multiplici mandauit crescere passim
Germine et immensis errare et pascere terris.
Haec ubi constituit diuina potentia iussu,
- 25 Rectorem inspiciens mundanis defore rebus
Haec memorat: hominem nostris faciamus in unguem
Vultibus adsimilem, toto qui regnet in orbe.
Et licet hunc uno posset componere uerbo,
Ipse tamen sancta dignatus ducere dextra,
- 30 Inspirat brutum diuino a pectore pectus.
Quem postquam effigie formatum ceu sua uidit,
Metitur solum mordaces uoluere curas.
Ilicet irriguo perfundit lumina somno,
Mollius ut uulsa formetur femina costa
- 35 Atque artus mixtu gemino substantia firmet.
Inditur et nomen uitae quod dicitur Eua.
Quapropter nati linqunt de more parentes
Coniugibusque suis positis cum sedibus haerent.
Septima luce Deus factorum fino quieuit,
- 40 Sacratam statuens uenturi ad gaudia saeculi:
Ilicet exhibitis animantum ex ordine turbis
Viritim cunctis nomen quod permanet indit
Adamus donata sibi prudentia sollers.
Quem Deus alloquio iunctam dignatur et Euam:
- 45 Crescite multimodo uentura in tempora partu,
Vt polus et plenae uestro sint germine terrae,
Heredesque mei, uarios decerpite fructus,
Quos nemora et pingui reddunt de cespite campi.
Haec ubi disseruit, laeta paradus in aula
- 50 Instruitur primique aspectat lumina solis.
Gignitur haec inter pomis letalibus arbos,

- Coniunctum generans uitae mortisque saporem.
 Aedibus in mediis puro fluit agmine flumen,
 55 Quod rigat insignes liquidis de fluctibus ortus
 Quadrifidosque secat undante ex fonte meatus.
 Fison auriferis praediues fluctuat undis
 Conspicuasque terit rauco de gurgite gemmas:
 Prasinus huic nomen, illi est carbunculus ardens,
 60 Perspicuusque uadis terram praelambit Euilat.
 Post hunc Aethiopus Gaeon adlapsus opimat.
 Tertius est Tigris, Eufрати adiunctus amoeno,
 Assyriam celeri discretim flumine sulcans.
 Hic positus custos Adamus cum coniuge fida
 65 Atque opifex tali formatur uoce tonantis:
 Ne trepidate simul licitos praecerpere fructus,
 Quos nemus intonsum ramo frondente creauit,
 Solliciti ne forte malum noxale legatis,
 Quod uiret ex gemino discreta ad munia suco.
 70 Nec minus interea caecos nox alta tenebat
 Ac modo formatos uestis nec texerat artus.
 Has inter sedes et baccis mitibus ortus,
 Spumeus astuto uincens animalia sensu,
 Serpebat tacite spiris frigentibus anguis,
 75 Liuida mordaci uoluens mendacia sensu,
 Femineo temptat sub pectore mollia corda:
 Dic mihi cur metuas felidia germina mali?
 Numquid poma Deus non omnia nota sacrauit?
 E quis si studeas mellitos carpere uictus,
 80 Aureus astrigero redibit cardine mundus.
 Illa negat uetitosque timet contingere ramos:
 Sed tamen infirmo uincuntur pectora sensu.
 Illicet ut niueo iam mitia dente momordit,
 Adfulsit nulla maculatum nube serenum.
 85 Tum sapor illecebram mellitis faucibus indens,
 Compulit insueto munus deferre marito.
 Quod simul ac sumpsit, deterosa nocte nitentes
 Emicuere oculi mundo splendente sereni.
 Ergo ubi nudatum prospexit corpus uterque
 90 Cumque pudenda uident, ficulnis frondibus umbrant.
 Forte sub occiduo Domini iam lumine solis
 Agnoscunt sonitum trepidique ad deuia tendunt.
 Tum Dominus caeli maestum compellat Adamum:
 Dic ubi nunc degas ? respondit talia supplex :
 95 O Domine, adfatus pauido sub corde tremisco,
 Magne, tuos nudusquo metu frigente fatigor.
 Tum Dominus: quis poma dedit noxalia uobis?
 Tradidit haec mulier, dum dicit lumina promptim
 Candenti perfusa die liquidumque sorem
 100 Adfulsisse sibi solemque et sidera caeli.
 Protinus ira Dei turbatam territat Euam,
 Auctorem uetiti dum quaerit maximus acti.
 Illa sub haec pandit: serpentis suasa loquentis
 Accepi fallente dolo blandoque rogatu:
 105 Nam sua uipereis intexens uerba uenenis
 Haec mihi prae cunctis narrauit dulcia pomis.
 Illicet omnipotens condemnat gesta draconis,
 Praeciapiens cunctis inuisum uisere monstrum:
 Pectore mox fuso prorepere, tum sola morsu
 110 Mandere, mansuro quaecumque in tempora bello
 Humanos inter sensus ipsumque labantem,

- Vertice ut abiecto pronus post crura uirorum
 Serperet, ut calcet dum labens comminus instat.
 Femina fraudigeris misere decepta suadelis,
 115 Praecipitur duro discrimine ponere partum
 Seruitiumque sui studio perferre mariti.
 Tu uero cui uisa fuit sententia uerax
 Coniugis, immiti cessit quae uicta draconi,
 Deflebis miserum per tempora longa laborem:
 120 Nam tibi triticeae surget pro germine messis
 Carduus et spinis multum paliurus acutis,
 Vt cum uisceribus lassis et pectore maesto
 Plurima sollicitos praestent suspiria uictus,
 Donec in occiduo uenientis tempore mortis,
 125 Vnde geris corpus, terrae reddare iacenti.
 His actis Dominus trepidis dat taedia uitae,
 Deiectosque procul sacratis dimouet hortis
 Obuersosque locat medioque eliminat igni,
 In quo perceleri Cherubim euoluitur aestu,
 130 Dum calidus deferuet apex flammisque uolutat.
 Quis Dominus, pigro ne frigore membra rigerent,
 Consuit euulsas pecudum de uiscere pelles
 Operiens nudos calidis de uestibus artus.
 Ergo ubi coniugio sese iam fidus Adamus
 135 Esse uirum sensit, nomen genitricis amatae
 Exhibet uxori. binos qui germine factus
 Continuo genitor diuersis nuncupat orsis.
 Atque Cain hic nomen habet, cui iunctus Abelus:
 Innocuas multa seruabat cura bidentes,
 140 At alius curuo terram uertebat aratro.
 Hi cum perpetuo ferrent sua dona torianti,
 Dissimiles fructus sensu suadente dedere.
 Nam prior uberibus fuerant quae prosata glebis
 Optulit: ast alius miti se deuouet agno,
 145 Exta gerens sincera manu adipemque niuaalem.
 Confestimque placet Domino pia uota tuenti.
 Quod propter gelida Cain incanduit ira.
 Quem Deus adloquio dignatus talibus infit:
 Dic mihi, si rectum uiuas et noxia cernas,
 150 Degere non possis contracto a crimine purus?
 Desine mordaci fratrem disperdere sensu,
 Qui tibi ceu Domino subiectus colla praebebit.
 Nec tamen his fractus fratrem deducit ad arua
 Atque ubi deprensus deserto in gramine uidit,
 155 Elidit geminis fraudans pia guttura palmis.
 Quod factum Dominus caelo speculatus ab alto
 Disquirat quonam terrarum degat Abelus ?
 Ille negat positum custodem se fore fratris.
 Cui Deus effatur: nonne uox sanguinis eius
 160 Ad me missa sonat celsumque ascendit ad axem?
 Nosce igitur mansura tibi pro crimine tanto:
 Nam modo quae maduit germani sanguine terra,
 Inuiso maledicta tibi commissa negabit
 Semina et absumentis fructum non proferet herbis,
 165 Torpidus ut multo collidens membra tremore

TABVLA MANVSCRIPTORVM

R = codex Victorinus 380, nunc Parisinus, saec. XIII
Morelius = Editio Cypriani Parisiis apud Guil. Desbois a. 1564
Pamelius = Editio Cypriani Antwerpiae a. 1568.
Oxon. = Editio Oxoniensis a.1682, ed. Io. Fellus Episcopus
Oxoniensis et Io. Pearsonius.
v = editiones vel omnes vel aliquot

Incipit liber geneos metricus Cipriani *R.* —

1 locavit *R*, creavit *v*

5 de] a *R*

6 claro et *Pamelius*, et clare *R*, et claro *Fabricius* (*Poet. uet. eccles. opera p. 295*)

micuerunt *R*, nituerunt *v*

8 uersum 8 post u. 9 exh. *R*

9 errantia *R*, uerrentia *v*

15 die *R*, dies *v*, cf. u. 19, 21, 32, 40, 44, 139, 145

19 quinta die *R*, at quinta *v*

20 aere *coni. Cauchius*, corpore *Rv*

uariarum s. a. pennae *coni. Gronouius*

21 pater gelidos *R*, praegelidos *v* spira *R*

22 quadrupedum greges *R*

27 nostris hominem f. ad. unguem *Fabricius et v*

28 regnat *R*

29 hunc uno *Fabricius*, hoc uno solo *R sed hoc s. l. m. 2*

32 postquam artificis formatum in imagine uidit *Oxon.*

33 metitur] non patitur *coni. Bal.*

36 mixta geminos *R*

37 uitae] uiuae *Fabricius*

40 luce *R*, quando *v*

41 sacrata st. u. gaudia *Morelius et v*

42 exhibitis *R*

43 uiritim] distinctim *Oxon.*

44 adami a domino donata prudentia *Morelius et Pamelius*,

adami a domino data quae prudentia *Fabricius*, adami a domino donata
scientia *Oxon.*

46 uenturam *R*

49 reddit *R* (reddent eius scripturam falso perhibet *Sal.*)

55 hortos *fort.*

57 fyson *R*

59 prasinus *R*

60 euilam *R*, heuilath *v*

61 ethiopas geon *R*, aeth. gihon *v*

62 euphrati *v*

76 pectora *R*

80 redibit *R*, remeabit *Morelius et v* carmine *R*

86 copulit *R* insuetum *coni. Cauchius*

90 cumque] que *R*

96 tuus *R*

97 tunc *v*

98 promptim] promptum est *R*

99 cadenti *R*

109 proreppere *R*

110 mandere *Cauchius*, pandere *R*

111 labentem *R*

113 calcent *Oehler* (*Tertull. II p. 775*)

114 suadelis *R*, loquelis *Morelius et v*

118 cessitque *R*
127 ortis *R*
130 calidos *R*
131 menbra frigerent *R*
133 opperiens *Fabricius*
136 bino *Morelius et v*
138 cuius *R*
139 multa *R*, huius *Morelius et v*
140 at *R*, ast *v*
142 fructu *R*
145 manu sincera gerens *v*
152 praebebit *R*, daturus *Morelius et v*
154 ibi *R*
155 fraudans *R*, frangens *coni. Pamelius*
156 caelo| celso *Fabricius*
159 nonne *R*, numnam *Fabricius et v*
164 assumtis *v. —*

Text edited by G. Hartel, S. Thasci Caecili Cypriani Opera Omnia, CSEL 3.3 (1868), pp.283-8. Transcribed by Roger Pearse, 2002.